

flore quinquefido Löfl. itin. 38. apud nos plerumque quadri-
fidus existit.



Fructum adpictum multoties habui
e China, sed numquam germinavit,
nec arborem novi. Globus calycis est
hispidus, folia illa duo sunt membranacea, et sunt ex
quinis dentibus calycis hi duo alterni dentes enati in ejus-
modi folia.

Sequieriae et *Laetiae* folia v. plantas non habeo, cum
Loeflingii plantae, mihi destinatae, nondum accessere.

CAL. *Perianthium* pentaphyllum, coloratum, deciduum,
foliis erectis, lanceolatis, obtusiusculis.

Cor. Pentapetala subaequalis: *Petalis* obovatis, obtu-
sis, calyce longioribus, unguibus filiformibus, calyce di-
midio brevioribus, insertis receptaculo alternatim cum ca-
lyce, sed infimo intra infimum foliolum calycinum.

STAM. *Filamenta* 10, colorata, longitudine fere co-
rollae, connata in cylindrum germine ampliorem, superne
ad $\frac{1}{4}$ distincta, horum alterna paullo breviora, antheri-
fera, longiora vero castrata. *Antherae* ovaes. compressae.

Pist. *Germen* superum, declinatum, oblongum, tomen-
tosum. *Stylus* subulatus, adscendens, longitudine corollae.
Stigma acutum.

Si folia composita crederem hanc affinem esse Caesal-
piniis, licet genus diversum constitueret.

Ammania Brown. laetor quod hanc videre potuerim, et
Tibi gratias refero. Certissimum est quod haec sit species
Peplis, licet tertia pars numeri deficiat in flore, adeoque
dicenda:

PEPLIS (tetrandra) foliis subhirtis.

Caules decumbentes, capillares: *Ramis* alternis, adscen-
dentibus, raris, strictiusculis, simplicibus. *Folia* opposita,
ovata, tenera, integerrima, scabriuscula, petiolata. *Sti-
pulae* solitariae, paria petiolorum utrinque connectunt.